



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. 6. qui clerici vel foventes contrah. &

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Ad num. 21. ad finem incidenter quari potest. Si femina sciat se in partu constituta in probabili mortis periculo, poteritne potionem sumere ut conceptionem impediatur? Negatur, quia directe fini principali repugnat.

Dices: potest idem fœtus nondum animarum à se expellere secundum probabilem sententiam, ergò. Disparitas est quia talis fœtus est actualis aggressor & directa causa mortis matris; ergò habet jus se defendendi, secus est in casu altero. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 3. cap. 1. n. 6.

AD TIT. VI.

Qui Clerici, vel voventes contrahere possint.

Ad num. 1. in fin. *Observe ex Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 5.* Quod sit peccatum mortale contrahere, vel consummare matrimonium cum impedimento dirimente; quia est violatio legis iustitiæ in re gravi. Imò probabilius est etiam esse sacrilegium, præsertim si in facie Ecclesiæ contrahatur post Trident. quia contrahentes abutuntur nomine & ritibus Sacramentorum cum irreverentia, nisi metus vel causa alia excuset. Item si copula habita cum sponsa tali, quod id in confessione explicari debeat, si prohibitum sit matrimonium ab Ecclesia ob copulam, ut in voto Religionis, cultus disparitate, quia contra virtutem Religionis, vel quia contra pietatem, ut in consanguinitate, affinitate. Aliud est, si prohibitum sit ob crimen, ut raptum, vel impedimento ex tit. de eo qui &c.

Ad num. 9. in fin. Observe ex Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 6. Licet is, qui cum voto simplici castitatis matrimonium contraxit à petitione debiti impeditus sit; non tamen is, qui post votum ingrediendi Religionem contraxit, ac consummavit matrimonium. Ratio, quia hic nondum habet votum castitatis, sed tantum de vivenda castitate solemniter, à cuius voti expletione impeditus est, donec matrimonium solvatur.

Ad num. 12. adde. Si Clerici post sacros Ordines de facto contrahere matrimonium præsumpserint, ipso facto excommunicatione incurrunt, suntque Irregulares, in qua tamen irregularitate post peractam pœnitentiam dispensare Episcopo est concessum, dummodo cum vidua, vel corrupta non contraxerint. c. 12. h. t. c. 4. de convers. conjugat.

AD TIT. VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

Ad num. 1. adde. *Busenb. lib. 6. tr. 6. cap. 3. dub. 2.* Hic ratione primi casus addit. Quod si cædes tentata sit, sed non perfecta; vel perfecta, sed absque intentione matrimonii incundi; vel cum intentione quidem ea, sed non significata exterius, vel non communi consilio, sed ab altero tantum, non dirimit matrimonium, nisi etiam adulterium præcesserit; tunc enim sufficit, si unus cædem perfecit altero etiam ignaro.

Pro;